

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigesimo primo Martii: M. DCC. XXX.

M. THOMA-BERNARDO BERTRAND
Doctore Medico, Præside.

Utrùm in Ascite Paracentesim tardare, malum?

I.

UBULIS constat & humoribus corpus organicum. Ejus harmonia ab utrorumque motu pendet. Quâcumque de causâ è vasis contrà naturam humor exeat, is vitiatur, nisi resolutioni cedat. Fluctuat, suppurat, induratur humor, & tumorem facit. Multiplex tumor est. Vel à partibus, vel ab humoribus ortum habet. A duris partibus, ossium luxationes, nodi, exostoses: A mollibus, verarum omnis Herniarum species, ab Omento, Intestino, utroque; & Ventriculo, etiàm & Vesica. A quatuor humoribus Antiquorum sat bellè indigitantur tumorum natura, genus, indoles. Phlegmone à Sanguine: à Bile Erysipelas: Oedema à Sero: à Melancholico humore Scirrhus. Hisce si jungatur

partium varios humores excipientium varia conditio; innumeri alii constituuntur tumores. Signa, quæ ad curationis modum, speciem, tempusque ducunt, desumuntur ex læsionum varietate. Taxi, aut Incisione, curatur Hernia, quæ vera est: aliisque tumoribus tractandis, rarò sufficiunt Diœta & Pharmacia. Plerisque curandis, ferro & igne plurimùm præstat Chirurgia, tertia Therapeutices pars. Synthesi separata conjungit; Diæresi conjuncta separat; Exæresi intùs superflua extrahit. Tres licèt operationes discriminentur, ad perficiendum opus idem, haud infrequenter consociari amant. In teli extractione in corpus immissi; Calculi ex Urethrâ aut Vesicâ; Aquæ, Sanguinis, Puris, è quâdam cavitate; id probatur ultrò, liquetque in Paracentesi. Hæc, Latinis punctio, Exæreseos est species, quæ eo peragitur temporis puncto, quo Diæresis. Continui separatione factâ, Superflui fit ablatio. Sed morbi tempus in quâcumque operatione faciendâ, debet eligi. Vel occasio, vel opportunitas curationis anima est.

II.

HUMOR quilibet extrà vasa latitans, durâ mollive parte conclusus, nisi discutiatur, arte educendus est. Ab ictu, aut casu violento, concutitur cerebrum: largâ tunc manu mittitur sanguis, vulneraria adhibentur. Hæc omnia sapienter tentantur initio: At imperitè, si sola, & funestè tandèm; nisi sat citò detur via Terebratione, quâ sanguis, in pus flecti cereus, ejiciatur foràs. In Hydrocephalo, par operandi modus, cerebri substantiam humor modò non penetret. Empyema, sectione pectoris; Leucophlegmatia, tibiarum Scarificationibus; Hydrops oculi, Punctione; Ascites Paracentesi curantur: sed omnes ex opportunitate. Pus & aquam educebant veteres Medici. Sine ferro primùm, exin cum ferro imponebant Cucurbitulas, ferramentisque candentibus partes exulcerabant: At curationem seriùs auspicabantur. Indè ex lentiori humoris eductione, ulcere diuturniori, miserè solvebat morbum Sphacelus frequens. Recentiores Medici, Suppuratos & Hydropicos securiori viâ, minori tœdio, ac dolore leviori, sublevant. Scalpello, Lanceolâ, instrumento tandèm Tricuspide, aut Veruculo, cum argenteâ fistulâ ex utroque extremitatis latere perforatâ, absolvunt opus. Qui Veruculo utuntur, rectiùs agunt. Integumentorum fibras separant, non secant acumine rotundo, citiùsque sanatur vulnus. Non ampliùs forsàn perficienda operandi methodus; sed nondùm perfectus operationum usus. Pleræque feliciores essent, atque Paracentesis, si tempore celebrarentur convenientiori. Medici est, non tantùm ea, quæ ante pedes modò sunt, videre; sed prospicere futura. In Lithotomiâ, absque maturâ præparatione sapientique consilio, necatur æger. Aut miserè avellitur, aut fingitur calculus; & pro salute mors est. In magnis vulneribus, aut cum, aut sine facturis; & ab initio, & ad animi deliquium extrahitur sanguis. Sic, quæ solitò fiunt Symptomata, cessant; quæ subsequi solent, præcaventur.

III.

VISCERIBUS quamplurimis refertum est Abdomen, vitiis indè quamplurimis obnoxium. Hæc inter, varia sunt Hydropum genera. Horum contrà naturam affectuum causæ, læsa sanguiferorum, lymphaticorumque structura; Viscerum obstructio. Tunicis vasa constant retium instar contextis. Quò sanguis diutiùs hæret, eò magis hiat tunicarum textura, diffluitque serum copiosius. Ligata in cane vena jugularis factum probat. Cutem inter capitisque membranas & musculorum colli interstitia, serum diffunditur. Lymphatica, si absque ruptione, dilatentur ultrà modum; cystide conclusis aqueus humor magno crescit volumine, Hydatidasque procreat. Viscerum obstructio impedimenta

parit ſanguini. Hinc hydrops, qui ab ictero, lethalis. Diſſectis Hydropicorum cadaveribus, in Abdomine tumores varii, frequenſque Scirrhus. Vitiato diutiùs fibrarum tono, Interpoſitis undique obicibus, patentiores fiunt tunicarum pori, morâ ampliantur viæ procliviores. In Leucophlegmatiâ venter intumeſcit, & corpus univerſum: In Tympanitide, tumet flatibus: In Aſcite, ſæpiùs Sero, Chylo rariùs effuſo, ſolus primùm diſtenditur. Hydrops ille, quo, ut in utre, Aqua continetur, ſedem habet eo in ſpatio, quod Peritonæum inter & Inteſtina vacuum eſt. Extremis levibuſque digitis uno percuſſus latere Venter, in altero ſenſum præbet humoris fluctuantis intùs. Aquoſus ille tumor, retardatâ convenienti curatione, ſensìm increſcit. Abdomen præter, & Pudenda, & Femora, & Pedes occupat, totumque corporis habitum afficit. Jàm vehiculo defraudatur purpureus latex, hæret ubique; &, dùm diffuſo latè ſero immergitur machina, ſanguis craſſitie mentitur in vaſis corallum. Ingruunt febricula, ut plurimùm urens; vehemens ſitis; Urina admodùm pauca, craſſa, lateritia; Spirandi difficultas; corporis ſuperiori parte marcor; moleſta Tuſſis. Tot lethalia Paracenteſi præcaventur tempeſtivè factâ. Mochlica his in caſibus propinare, ſanguinem eſt exprimere quaſi torculo. Sic curati, ſanguinis ictu repentino ſæpè tolluntur. Aſciti igitur vetuſto nimìs, vel recentiori, impar eſt Punctio. Aut jam deſperatus, aut nondùm factus eſt, morbus. At, ubi primùm eſt vera certaque ſeri fluctuatio, conſtans Aſcites declaratur. Hìc, adhibitis incaſsùm interioribus remediis, punctum eſt non procraſtinandæ Paracenteſeos.

IV.

DETECTO opportunitatis Momento, quis locus Abdominis perforandus? Peculiaris tumor, ab Hernioſo, fluctuatione diſpar, Punctionis locum notat. Alba linea ſi prominet, abſque periculo pungitur. Umbilicus ob Exomphalon; Interſectiones tendinoſæ, Rectus Abdominis muſculus, propter difficiliorem Syntheſim; Vaſa ſanguifera, ob Hæmorrhagiam; ferro attingi nunquàm debent. Tuta celebratur Paracenteſis medio in ſpatio, quod anteriorem oſſis Ilii Spinam inter & ultimam coſtam jacet. Decumbente ægro in latus, non ſedente; parte prominenti manibus Aquarum collectionis ergò compreſsâ priùs, inibi haùd timidè perforet Artifex. Perfoſſis Abdomine & Peritonæo, illæſis ſemper inteſtinis, retrahitur Veruculum: argentea Fiſtula, mundata priùs, quâ eliciuntur aquæ, in foramine relinquitur. Intacto Peritonæo, nullus, negatâ viâ, vacuatur humor. Ideò alterâ Punctione factâ paulò infrà primam, Veruculo longiori perforatâ tunc membranâ Abdomen intùs ſuccingente; Aquæ fluentes, uſque dùm ſponte deſinant, educendæ ſunt. Unâ vice, veteres Medici licet reformidaverint, Humor emittitur. Quandòque tamen mucoſa quædam colluvies, Inteſtini Omentive pars, quid Pinguedinis oſtia canaliculi præcludit, & ſiſtitur Serum. Obex facilè tollitur: immittitur in Fiſtulam ſpecillum, & fluunt Aquæ. Sub operationis finem, manibus Abdomen premitur paulò fortiùs. Ità exactiùs continentur viſcera, exprimiturque ſerum. Miſſis aquis, tollitur canaliculus. Vulnuſculum ſplenio aquâ vitæ madido obducitur, & facilè coït. Pendente à ſcapulis faſciâ firmatur interdùm mantile corpori circumcinctum: Hoc itèm, dùm eliciuntur Aquæ, adhibetur tutò. Per gradus ità compreſſis, & Diaphragmate, & Abdominis muſculis, & Viſceribus, præſertim Hepate, Lipothymia præcavetur à Reſpiratione læsâ. Eductus Humor, quid indè futurum, indicat. Cruentus, Purulentus, Fætidus, Chyloſus, humore multiplici permixtus, mali ominis eſt: Boni verò ſeroſus, lotio ſimilis, non fœtens, non copioſior. Euchymis recreetur æger, iiſque utatur, quæ Aſcitis fomitem debellent.

V.

ANTIQUORUM nonnulli, membranam Peritonæi inimicam Punctionis, Paracentesi spiritus excludi, Infirmari vires, Aquam jocinore affecto frustrà emitti, pronuntiabanr. At, Peritonæum, & in Gastro-raphiâ coalescit: Spiritus & vires non magis infirmantur, quàm in Phlebotomiâ: Ascites jecoris unius non vitium est; ex affecto splene, totiusque corporis malo habitu fit. Inanis igitur timoris est talis cautio. Timendum immò, si tardiùs expellatur fluctuans humor, morâ ne noceat diuturniori. Licet non semper sanet extractus, detecto electoque morbi tempore; in Paracentesi tamen una salus. Levat ægrum Aquarum Eductio; locumque facit Medicinæ, quam inclusus intùs humor impedit. Asclepiades, Soranus, Themiso, aliique, hâc curatione meritò adversati sunt Erasistrato, Evenori, Thessalo. Testantur sat citò factâ Paracentesi, non paucos evasisse; plurimosque, tardante consilio medentium, mori. Elatere Solidorum in dies magìs debilitato, fibrarum fit Atonia. Perverso præpeditòve musculorum Abdominis, Diaphragmatis, Pulmonum, motu: Excretiones singulæ, omnisque generis feriantur vitianturque secretiones. Peractâ seriùs Paracentesi, prima citò redit morbi facies & aquosus tumor. Interrupto diutiùs serum inter & vasa commercio, nullus randèm datur derivationi locus. Stagnat hebes humor; serum corrumpitur; graviùs læduntur viscera; vires considunt; ad ruinam fluens totum redditur corpus; contingitque tabes, quæ Medicinam nescit. Vitium in substantiâ partium emendare, Nùm humanæ virtutis est? Quorum stomachus jàm corruptus est; Qui ex atrâ bile, aut obstructione, vel scirrho veteri in Hepate, Liene, Mesenterio, Pancreate; Qui malum corporis habitum habent, exhausti inediâ; Qui, aut senes, vel à morbo jàm vetusto, juniores licet, hùc deciderunt: Paracentesi fortè allevantur, sanantur nunquàm. Quibus immò observantur iis contraria, illi sanari possunt, & plerique sanantur. Natura vigens adhuc, Spontè, Diarrheâ, Urinæ fluxu, Metastasi, Ictu fortuito, Criticam hanc aquarum egestionem molitur. Sic Medicina, Naturæ Imitatio est.

Ergo in Ascite Paracentesim tardare, malum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes Damianus Chevalier.

M. Emmanuel-Ludovicus Duverney.

M. Ludovicus Reneaume de laGaranne, Scholarum Professor designatus, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Claudius Brunet.

M. Ludovicus-Claudius Bourdelin, è Regiâ Scientiarum Academiâ.

M. Raymondus-Jacob Finot.

M. Ludovicus de Santeul.

M. Michael-Ludovicus Vernage, Medicus Regis ordinarius.

M. Ludovicus Lemery Medicus Regis ordinarius & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

Proponebat Parisiis, FRANCISCUS-JOSEPHUS HUNAULD, Armoricus, è Regiâ Scientiarum Academiâ & in Horto Regio Professor designatus, A. R. S. H. 1730. à sextâ ad meridiem.

Typis G. F. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1730.